niſi quis locum ad quem tibi placet transferri con-
feſſorem tuum. Illis vero ita precantibus et in oratione
pernoctantibus dedit eis deus per ſervum ſuum ſignum
admirabile per quod intellexerunt locum edifi-
cande eccleſie. Nam tercia nocte cecidit nix
altiſſima in tota fere provincia. Locus autem
ille omnino apparuit vacuus in quo geſte
volebat ſanctus leonardus. Quo viſo miraculo
gracias cum clamore reddiderunt domino qui per ſanctum
confeſſorem ſuum ita letificavit dubitantem
populum. Et confeſtim acceptis ſarculis atque
ligonibus foderunt ibi fundamenta eccleſie.
complentes eam celeri curſu cum inſtanti
ope. Poſt hec coadunatis turmis fidelium
ad conſtructam baſilicam cum ymnis et canticis
tranſtulerunt eum. Quantas demum virtutes
in eius tranſlacione oſtenderit dominus minime poteſt
explicari paucis ſermonibus. Cottidie prop-
terea fiunt ad ſepulchrum eius crebra prodi-
gia que evidencius perhibent teſtimonium
quanto amore dominus noſter ihesus christus dilexerit
eum. Nam in eius baſilica plurima pendent
ferrea vincula multorum eciam enſes et
lancee quos liberavit ex bellica rabie.
Catenas vero ibi allatas compedes ocreas
manicas ferreas qui numerando vellet
deſcribere haberet fortaſſe incredibile.
Sed venientes ad ſepulchrum eius nullatenus
queunt eſſe increduli ymmo ex diverſa multi-
plicitate dependentis ferri magis ſunt
hilares et leti. Quicumque enim recordans omnium
enarrare cupiet eius antiqua et que cottidie
nova magnalia facilius deficeret eum co-
pia. Ergo quia cuncta narrare est minimum
univerſa autem occultare ſtultiſſimum. Referi-
bamus pauca de pluribus que ad dulcorandum
corda audiencium qui roſarum flores ex mul-
tis herbis collegimus. Quidam vicecomes
lemovicenſium qui in eadem civitate ſuper populum
more principis legale habebat diſtrictum
ad terrorem et delinquencium penam fieri
iuſſerat immaniſſimam catenam. Erat enim
longiſſima et graviſſimi ponderis quam
fecerat configi in campo ſtante in mediter-
raneo ſue turris que ſtat non procul contra templum
beati preſulis marcialis. Ceterum vero catene
pertinebat foris ſub aere. In qua demum quis-
cumque ponebatur velut feralis belua prollu-
vinciebatur ſuſtinens omnem penuriam et
frigus et pluviam. Plerumque etiam in eſtivo tempore
exurebatur ſolis ardore. In hyeme autem
congelabatur glacie et nivibus pruinis quoque
ventorumque flaminibus. Neque enim taliter
vinculatus una morte paciebatur ſed ut
more ruſtico loquar mille mortibus ange-
batur. Ipſa videlicet catena maura nuncupabatur.
Timebant quod colligari ex illa quicumque

morabantur in vicinio quo inſontes aliquo-
ciens irretiabantur eiuſdem maure crudelitate
ſi quando fortuna infigebat pectus viceco-
mitis ut ſolet corda principum terrena cu-
piditate. Accidit preterea ut quidam ſervus
ſancti leonardi innoxius colligaretur in ea. Inter-
ea dum ipſe miſer ex ſcabra rubigine ferri
collo attritus in ipſo articulo mortis vix tenues
efflaret anhelitus recordatus eſt ſancti leonardi
domini ſui et cepit intra ſe dicere murmuracione
ſuſpirii. Non enim vocem emittere poterat.
quo infelix maura graviter eum premebat. Sancte
leonarde qui extraneis te invocantibus
ſubvenis cur me tuum ſervum in faucibus mau-
re occidi permittis. Succurrat michi queſo dulcedo
tue pietatis antequam me fugiat ſpiritus vitalis.
Statimque ſanctus leonardus affuit ei atque in candidiſſima
veſte apparuit. Non morieris inquit ſed vives
et narrabis opera domini. Surge itaque ſanus et
accipe mauram inimicam et baiula eam
ad eccleſiam meam. Nemo enim deinceps in ea con-
catenabitur. Sed poſtquam ex ea te exemerim pro teſtimo-
nio ante mauſoleum meum dependens omnibus
demonſtrabitur. Et adiecit. Sequere me quo ego
ero tibi previus deferque catenam. Neque enim ſen-
cies onus eius. Qui conſurgens ſecutus eſt
ſanctum leonardum ſicut ab eo ſibi fuerat imperatum.
Mox autem ut ante fores eccleſie beati viri ſe tam
velociter adductum vidit protinus eum ſanctus leonar-
dus dimiſit. Ipſe vero intrans eccleſiam coram
clericis et cuncto populo preſentavit catenam et
quicquid ei ſanctus leonardus fecerat omnibus ſuis verbis
oſtendebat. Tunc omnes qui aderant gracias agendo
domino noſtro ihesu christo reddebant honorem qui talibus
et tantis mirabilibus clarificare dignatur
ſuum confeſſorem. Audientes in hoc lemovicenſium
cives omnes circumcirca provinciales facto ag-
mine conveniebant et in votis ac muneribus
omnipotenti deo fidelique ſuo leonardo laudes devo-
tiſſimas exhibebant. Rurſus quidam peregrinus
ex longinqua ſatis regione videns mira-
bilia que ſancti leonardi fiebant interceſſione
diſpoſuit ire ad ſepulchrum eius et fecit. Ora-
vit et rediit. In ipſa autem redicione captus
eſt marcuexina incluſusque in brevi caveola.
Dicebat autem eis. Rogo vos cur in me eſtis tam
impii. An vobis aliquid mali feci. Non enim
qui ſim cognoſtitis neque amplius me vidiſtis.
A ſancto leonardo revertor pro cuius amore ut
me dimittatis precor. Illi vero non ſolum eius
parvi taxabant ſermonem ſed etiam minabantur
ei mortem. Nam inquiunt ex hac hora quicquam
tibi vel potus accipies ymmo conſumabit te
eſuries quouſque legatos dirigas ad tuam
provinciam qui afferant nobis non paucam
pecuniam. Quibus peregrinus reſpondit. Sit inter
vos et ſanctum leonardum cum me ſciatis fore

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Kantonsbibliothek, Vadianische Sammlung, VadSlg Ms. 70, f. 105r – Casus Sancti Galli; Vitae sanctorum (http://www.e-codices.ch/fr/vad/0070/105r)